



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1646

De Simplici. IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40233

prohibuit celebrari per totam ciuitatem, vel diocesim, etiam de cuiusque Ordinarij licētia, Missam, vel Festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia; sed tantum in ipsis Sancti Ecclesia Titulari, seu ubi asseruatur insignis Reliquia, & non aliibi. Quæ verò sit insignis Reliquia, eadem sacra Congregatio declarauit statim, & nos descripsimus in primo Tomo par. 1. titulo 11. circa finem. addidit pœnam eadem sacra Congregatio ibidem, nimirum, quod aliter non fit satis muneri recitandi diuini Officij; & consequenter infligitur pœna non faciendi à Clero fructus suos beneficiorum, præter lethale peccatum quod committitur. Eadem sacra Congregatio declarauit, comprehendi in dicto Decreto Ecclesias Abbatiales, die 28. Septembris 1628.

6 De priuilegijs Festi, seu Officij Semiduplicis, agemus infra in pluribus locis.

De Simplici. C A P. I V.

1 **D**Vrandus loco citato vsurpat hanc vocem *Simplex*. Antea vocabant Officiū trium lectionum, *Microl. cap. 44. & Radulphus Propos. 17.*

2 Festa verò Simplicia, quibus in Calendario nihil apponitur, superant hodie centenarium numerum. de quibus agemus singillatim in Proprio Sanctorum.

3 Qui numerus centenarius quàm rectè congruat, accipe ex sancto Bernardo, & Radulpho. Numerositas Festiuitatum, inquit *Bernardus ad Canon. Lugdun.* ciues decet, non exules. *Radulphus* autem *Propos. cit.* addit, sumendam esse nimirum proportionem

à Christo, qui duodecim elegit Apostolos, quos posuit in superiori gradu; in inferiori verò posuit septuaginta duos Discipulos, hoc est, sexies duodecim. Vnus est Christus, cui datur Officiū Dominicæ; Apostoli duodecim sunt: ergo & Festa Sanctorum solemnia in minori numero esse debent quàm numerus Dominicarum. Simplicia plura esse debent (cum quibus stat recitatio Psalterij) sicuti à Christo multiplicantur Discipuli. Duplicia Sanctorum (non loquor de Duplicibus Christi Festis) in Calendario Romano sunt numero sexaginta quatuor; Sanctorum Semiduplicia ad quadraginta: conuenit ergo, vt Simplicia excedant, vti fit, numerum centesimum.

4 Incipit à Vesperis quidem, sed ferialibus, & terminatur Officiū Simplex ad Nonam, *Microl. cap. 44. & Radulph. Propos. 18.*

De Dominica. C A P. V.

1 **D**E Officio Dominicæ *Microl. cap. 62.* hæc habet memoranda. In omni Dominica Ecclesiastico conuentui cum Officio Dominicæ satisfacimus, nisi aliqua multum celebris (nota) festiuitas occurrat. Addo ego, ratione Dominicæ quædam Officia festiuiora fieri, vt videre est in Festo Innocentium, & in Vigilia Natiuitatis Domini, quibus datur *alleluia, Te Deum*, respectiue cum consequentibus.

2 De Dominicis Aduentus, & à Septuagesima vsque ad Octauam Paschæ, quæ sunt maioris reuerentiæ & cultus, testatur *Radulph. Propos. 15.* eas numquam omitti. quod & hodie obseruamus.

3 Dominicæ infra Octauas Natiuitatis,